DE HYDROPHOBIA SPURIA SIVE RABIE CANINA SPURIA IN HOMINIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU

ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA REGIA

LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDOS

SCRIPSIT ATQUE DIE XII. NOVEMBRIS MDCCCXXX.

PUBLICE DEFENDET

ELIAS OPPENHEIM

BONNENSIS.

BONNAE, EX OFFICINA THORMANNI.

VIRO ILLUSTRISSIMO ET DOCTISSIMO

PROFESSORI NASSE

CONSIL. MED. INTIM.

DILECTISSIMO OPTIMEQUE DE ME MERITO

PRAECEPTOPI.

NEC NON

ALEXANDRO RUTHENBURG

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

A M I C O S U A V I S S I M O

D.

AUCTOR.

QUANTUM LABORE CONTENDERE POTES,
TANTUM FAC, UT EFFICIAS.

CIC. OFF.

PRAEMONENDA.

Accurata spuriae sive hydrophobiae sive rabiei caninae in hominibus perscrutatio vel maxime certe digna est, in qua laboris ac studii aliquid ponatur, quum eius cum vera commutatio duplex in arte medica exercenda damnum attulerit. Etenim hoc errore factum est, ut vera rabies, malorum omnium multo terribilissimum ac tenacissimum, insontibus saepe cessisse medicaminibus putaretur, qua quidem empirica felicique, ut existimabant, cum successu adhibita curandi methodo medicos magis magisque oportebat prohi-

beri, quominus rationalem inquirere medendi huic infestissimo morbo modum studerent. Accidit vero saepius, ut summa crudelitate ii quoque afficerentur aegroti, quibus etiam sine ullo medici auxilio salus contigisset. Utrique illi ut aliquommodo subvenirem obnoxio eventui, praecipuos, quibus spuria rabies fundatur, morbos causasque occasionales in lucem proferre conatus, diagnosin quoque, quantum pro morbi historiis, quae mihi praesto erant, licebat, studui conformare. Ad hoc vero haud sane leve periculum faciendum auctor mihi fuit ill. Prof. Nasse, qui me, quo melius opus procederet, et consilio suo et libris pro virili parte adiuvit. Huic ego praeceptori meo spectatissimo pro omnibus in me collatis officiis summas, quas debeo, gratias ago, nec dubito fore nunquam, ut eorum ulla apud me

deleat oblivio memoriam. Etiam ill. Professori Naumann pro humanitate et benignitate, qua fontes mihi aliquos aperuit, gratum semper animum conservabo.

Adieci praeterea comparationem, qua causarum occasionalium, prodromorum, temporis eruptionis, ipsius indiciorum morbi, spatii crisisque et discrimina, quibus discederent, et similitudines, quas inter se vera rabies ac spuria inirent, exposui.

Neque tamen me praeterit, nonnulla in hoc morbo describendo deesse indicia, quae, non relata, mancam reddunt diagnosin. Illa vero, sive quod ipsi casus descripti iis carebant, sive quod eorum scriptores omittebant, in ipsis, quibus utebar, morbi historiis desiderabam, quum neque pulsus, neque urinae, nec linguae, aut cutis ulla

fit istic mentio. Nec tamen in nostro malo quum apparet aliquod veri signum, veram id rabiem esse testatur, neque, quum unum alterumve deest symptoma, idcirco nobis licet, sitne spuria illa rabies, nec ne, dubitare.

DE HYDROPHOBIA SPURIA SIVE RABIE CANINA SPURIA IN HOMINIBUS.

I. DEFINITIO.

Sive hydrophobiam spuriam, sive rabiem caninam spuriam tam eam dico quae, quum sponte in homine obveniat, spontaneae nomen accepit, quam illam, quae, alios indicans morbos, symptomatica appellatur. Huius vero vel sponte vel symptomatice in hominibus observatae rabiei origo ac decursus a maiore minoreve tum causae occasionalis, tum eius morbi, qui illam comitatur, pendet vehementia.

Ea deinceps exsequi aggrediar, ita ut praemissis praecipuis, quae se socias praebent rabiei spuriae, affectionibus, ad causas, quibus illa provenit, transiturus sim.

II. AFFECTIONES RABIEM HYDROPHOBICAM COMITANTES.

Sunt autem eae affectiones genere duplices; aut enim longe prius habent in corpore sedem et locum, quam ipsa

rabies spuria erumpat, aut brevi sunt ante morbi incursum exortae. Primum de illis loquar affectionibus, de his postea.

A.

QUAE MORBUM NOSTRUM LONGIUS ANTEEANT AFFECTIONES.

1. *Typhus* (i. e. febris maculosa). Erat mihi crebra, dicit *Hildenbrand*, occasio, singularem *observandi* (in stadio nervoso) spasmum digitorum, musculorum in extremitatibus rigorem, verum trismum, hydrophobiam aliaque rabiei similia symptomata 1). Etiam *alii* antea et ipse ill. *Nasse*, typhum viderunt rabiei caninae socium.

2. *Carditis*. Ubi magno ingenii acumine *Kreyssig* hypothesin a *Testa* primum editam defendit: fundari rabiem caninam cordis inflammatione, eo loco relatum legimus: Inflammatio cordis aliunde exorta, haud raro cum hydrophobia coniuncta est, ut in epidemia *Trècourti*. Quod si autem memineris, omnino in cordis affectionibus, in inflammatione praesertim, fere semper maiorem minoremve colli subesse affectionem morbosam deglutitionemque impeditam, id quod spasticam plerumque originem habet, interdum vero etiam inflammatorium videtur: quam arcte illae partes inter se cohaereant, facillime intelliges 2). Certe non alienum est, facere hoc loco eius complicationis mentionem, quum hydrophobiam, quam dicunt, in carditide acuta cum summa verae rabiei dysphagia saepissime esse commutatam constet.

---

1) v. Hildenbrand: Ueber den ansteckenden Typhus. Wien 1815. S. 100.

2) Kreyssig, Herzkrankheiten Thl. 11. Abth. I. S. 152—159.

3. *Febres malignae et putridae.* In praesidio *Rocroyensi* febris acuta vigebat cum spiritu difficili, siti non explenda et hydrophobia iuncta. In defunctis cor plerumque ulceratum, nonnunquam cum pericardio connatum inveniebant 3). Ex hac autem observatione, nempe aut ulceratam cordis substantiam, aut cum pericardio connatam fuisse, pariter atque ex illa a *Kreyssig* nobis prodita, sequitur, convulsiones in cordis affectionibus haud esse raras. Praeterea *Rüsen* carditidem sub forma Choreae Sti Viti vidit abire in mortem 4); epilepsiam cordis affectiones subsecutam ostendunt *Autenrieth* 5), *Moll* 6), *alii;* denique in tribus quoque illis *Morgagnii* casibus cordis affectiones videntur esse subiiciendae, ubi homines, qui toto corpore sudantes frigidissimam biberant aquam, in rabiem caninam inciderunt: Memorat autor 7) hominem nobilem et militem, quibus addit rabiei caninae casum, quem eadem exortum causa *Gensel* viderit.

4. *Scarlatina*, *morbilli, variolae* 8) nonnunquam rabiem caninam spuriam comitantur.

5. *Trismus neonatorum.* In infantibus epidemica observata est rabies canina. *Schnuchzer* 9) Turicensis de ea re dicit: »Infantes hoc Februario hydrophobia sine ullo animalis noxii morsu passim laborare, medicos in hoc morbo investigando ac depellendo multum sudasse absque peroptato

---

3) Trècourt, Memoires et observations.

4) Hufel. Iourn. Iahr. 1828.

5) Versuche Band I. Thl. 2. S. 304.

6) Dissertatio sua inaugural. Bonnae, 1823.

7) Morgagni epist. VIII. Nr. 31 et 32.

8) Iournal de Médec. Ian. 1762.

9) Sammlung der Natur= und Medicingeschichte.

successu.« *Krügelstein* trismum neonatorum hic affuisse coniicit, quo affecti infantes non minus impares sunt bibendo. Atque id ipsum evenisse in eo infante videtur, qui apud *Aurelianum* matris mammam recusavit. »Dehinc *Soranus* memorat se infantem hydrophobum vidisse ubera matris expavescentem 10)«.

6. *Tetanus* 11). Apparebat dies viginti post acceptam laesionem tetanus, maxime tanquam trismus et opisthotonus; gutta quaeque infusi chamom. ac vel merae aquae summarum erat pharyngis constrictionum causa. Aegrotus frustra ad devorandum intentus ea, quae porrecta erant, maximam partem respuit, ita ut timore huius spasmi perculsus, novum quemque infundendi conatum reiiceret. De Tetani relatione ad Hydrophobiam conferantur ill. *Harless* 12) et ill. *a Walther* 13).

7. *Hysteria:* »Hydrophobia hysterica, dicit *Lorry* 14), triplici exemplo mihi innotuit, in tribus mulierculis, quarum unica tantum occubuit. Ita auctum erat in ventriculo sentiendi acumen, ut oblata quaecunque respueret et vomitu reiiceret. Nata erat in harum singulis quasi spasmodica hydrophobia«. Cfr. de hac Hydroph. hysterica *Hartog* (Diss. de hysteria contagiosa, Erlang. 1805), et contra huius Paradoxa observationes ill. *Chr. Harless*, (in libr. suo supra cit.).

---

10) Cael. Aurel. de morbis acutis. Lib. 3. cap. *XI*.

11) Erdmann: Hufel. Iourn. April. Iahr. 1823.

12) Ueber die Behandlung der Hundswuth, und insbesondere über die Wirksamkeit der Datura Stramon. gegen dieselbe, durch A. Fr. Harleß. Frankf. 1809.

13) Abhandlung aus der prakt. Medicin und Chirurgie. Th. 4.

14) Lorry de Melancholia pars I. pag. 70.

8. *Diabetes.* Posse autem, dicit *Frank* 15), huiusmodi virus aut in peculiaribus rarisque vitae conditionibus aut in febribus vel acutis vel frigidis parari, satis perspicue apparet exemplo supra memorato rabiei ultro provocatae ac tribus aliis, in quibus etiam inter ipsam diabetem horror fluidi se ostendit. Itaque *Frank*, ut videtur, ullam praeter veneno conductam rabiem caninam exstare negat; fieri autem vix potest 16), ut conditiones constituamus, quibus ita mutentur humores nostri, ut ex iis virus appareat; qua de causa illi quoque rabiei homo subiectus est, quae absque animalis cuiusdam morsu oritur, quamque iam *Cael. Aurelianus* pernovit. —

B.

QUOS MORBUS NOSTER BREVI INTERVALLO SEQUATUR STATUS.

1. Hi sunt omnino vel terror vel metus vel imaginatio 17). Insignem casum narrat *Grapengiesser* 18), ubi ortus emetico oblato morbus, venaesectione instituta, statim evanuit.

2. Medicus ille clarus *Themison*, Methodicorum caput, expositurus, quae rabie laboranti accidissent, impetum semper eius morbi dicitur esse expertus.

---

15) Frank Epitome de curandis homin. morb. Lib. 5.

16) Krügelstein: Geschichte der Hundswuth, Gotha 1826. S. 245

17) Cfr. Harless l. m. et apud eum Bosquillonii hypothesis de hydrophobia ex sola imaginationis et terroris vi oriunda, cum Harlesii ad hanc relatione.

18) Hufel. Iourn. Iahr. 1827.

3. Celeber quidam medicus, postquam hydrophobi pulcum inquisivit, in tantam extemplo incidit tristitiam, ut animi non amplius compos, mortem sibi consciturus esset 19).

4. Hydrophobus, *Schmidtii* curae traditus, revaluit; quotannis vero, eo ipso, quo antea morsus fuerat tempore animus eius leviter turbatus una cum hydrophobia animadvertebatur 20.)

5. Miles, qui duci hydrophobo ministraverat, haud multum abfuit, quin imaginatione perturbatus, hoc ipse morbo corriperetur.

6. A vehemente terrore profectam vidit rabiem caninam *Felix Plater* in puella 21).

7. *Bellingal* in India orientali rabiem observavit, quin ulla fuisset animadvertenda causa.

8. *Raymond* et *Rüssel* aeque morbum viderunt orientem sine ulla perspicua causa occasionali 22).

III. DIAGNOSIS.

Duplicem igitur esse rabiei caninae spuriae in hominibus causam occasionalem exempla supra collata, quibus etiam plura passim adiiciam, satis docent. Aut enim inflammationes, febres nervosae, alii morbi, gastricae 1) plerumque

19) Morgagni epist. VIII. Nr. 31 et 32.

20) Krügelstein S. 375—376.

21) Felix Plater obss. pag. 83.

22) Mémoires de la société de Méd. 1777—1778.

1) Krügelstein S. 375.

originis, longius breviusve praecedunt, quibus se malum nostrum coniungit; aut vehementes illa sequitur animi affectus. Licet vero una ex parte magni iam sit, facere de utroque rabiei caninae spuriae fonte mentionem, multo gravius altera videbitur ex parte, meminisse, rabiem, antea illato canis morsu eruptam, non minus interdum apparere spuriam. Etenim potest canis, qui momordit, aut omnino non fuisse, aut evasisse demum post morsum rabiosus, Porro animalis rabidi venenum consumptum potest esse saepius mordendo, aut vestibus, quae morsam partem obtegebant, detersum, itaque, quominus in vulnus penetraret, prohibitum; denique natura non tam sunt proclives ad corpus saliva venenata inficiendum homines, quam bestiae, quum, quotiescunque homines simul et belluae a cani rabido morsi sunt, multo canes facilius infectos esse, quam homines, inveniamus. Quare de viginti hominibus, morsu canino affectis octodecim vel undeviginti, etiam nullo adhibito medicamento integri evadunt; eaque ipsa causa est tot vanarum laudum in medicamina collatarum ea, quae per se effectum habere plane non possunt 2). Imo licet cum *Parry*, *Ribbe* 3), *Hausleutner* 4) aliisque affirmare, eos casus, qui, erupta vera rabie canina, prospero eventu gavisi esse dicantur, pariter nullam salivae venenatae expertos infectionem, igiturque in spuriae numero habendos esse. *Royston* eo loco, ubi de rabie canina mentio fit, «morbus specificus, ait, semper mortiferus est,» simulque profert casum, quo, quod affirmavit, comprobetur, in omnibus casi-

---

2) Krügelstein S. 302.

3) Ribbe Naturgeschichte der Hundswuth.

4) Hufel. Iourn. Iahr. 1823.

bus sanatione coronatis simplicem tantum fuisse hydrophobiam 5). Favet huic sententiae excitatus animus auctaque imaginandi potestas eorum, quibus accidit, ut a suspecto ac vere rabido cani morderentur. Interea etiam constat, omnino animalium morsum ipsamque laesionem, tendinosarum utique partium, quales in manu ac pede maxime sunt, status posse efficere, verae rabiei caninae saepe simillimos. Haec sufficiunt ad probandum, quam mihi iure fuerit permissum, ut ad peragendum propositum meum huiusmodi etiam casus eligerem.

Post causas occasionales proxime rabiei prodomi describendi sunt. Omnino coenaesthesis turbatio, aut hyperaesthesis, aut angor et metus de morsu accepto praegredi consuerunt; absunt tamen nonnunquam, ita ut repente appareat rabies; et multa quidem eiusmodi exempla in *Hufelandi* Diario proferuntur, *aliis*que in hac re versantibus libris: Cuiusdam, qui rabie canina se conflictari rebatur (quem quidem ipse *Hufeland* descripsit casum) subito turbatus animus est 6). Homo repente aegruit et vix praeterita hora rabidus iacebat 7). Rarius etiam evenit, ut prodromi, quos morbi sequitur impetus, nullam habeant cum signorum succedentium vehementia rationem: ancilla, quae, terrore perculsa in rabiem incidebat spontaneam, nonnullis ante morbi incursum diebus tacita timidaque facta, ipso etiam eruptionis vehementissimae die laboribus suis praefuit. 8) Sed in rabie symptomatica

---

5) Hufel. Iourn. Iahr. 1811. Histor Skizze über die Fortschritte der Medicin in England.

6) Hufel. Iourn. Iahr. 1819.

7) Hufel. Iourn. Iahr. 1819.

8) Hufel. Iourn. Iahr. 1826.

ipsae praegredientis morbi notae eruptionis erunt prodromi: adoleseens robustus, tetanicam naetus hallucis laesione rabiem, primum molesto quodam sensu in eervice museulisque iis, qui devorando inserviunt, angebatur 9).

Rabiei igitur eruptio unam alteramve sequitur eausam oecasionalem, eaque, ut iam supra memoravimus, aut coniuncta cum prodromis aut ab iis destituta. Quando autem erumpat, incertum est; modo mature, quin etiam statim post causam occasionalem 10), interdum eodem die 11), saepe diebus post illam quatuordecim vel viginti, quod quidem pronuntiare per multa diarii illius lieet exempla; modo eruptio sero fit. *Vogel* ab internis ortam causis contendit 12), quaecunque rabies post quatuor vel quinque pluresve menses, vel adeo post XX — XL annos, euius rei a *Morgagnio* plures easus enarrantur 13), aparuisse dicatur. Denique, qua re vel maxime spuria distinguitur, vehemens plerumque et citatus est symptomatum deeursus: Primus feminae illius impetus tantam ei vim iniecit, ut sex homines, a quibus tenebatur, huc et illuc iaetaret 14). *Shoolbred* mentionem aegroti in sanitatem redueti facit, in quo eonvulsiones eontinuae primo iam die habuerint loeum 15). In tanta igitur symptomatum veloeitate pauca sunt de eorum inter rabiem ordine constituenda; dum, quae initio impetus exstant

9) Hufel. Iourn. Iahr. 1811.

10) Hufel. Iourn. Iahr. 1826.

11) Hufel. Iourn. Iahr. 1813.

12) R. A. Vogel: Prael. de cogn. et curand corp. hum. affectionibus.

13) Morgagni epist. VIII. Nr. 21.

14) Hufel. Iourn. Iahr. 1823.

15) Hufel. Iourn. Iahr. 1814.

signa, ab iis, quae inter morbum explicantur, distingui fere non possunt; quare ordinis nulla habita ratione ipsa signa enumerabo.

Primo loco sunt spasmi, tomici plerumque, qui statim ab initio morbi acribus constant convulsionibus: ita vehementes feminae illius convulsiones quinis minutis, quae dicuntur, redibant 16); simili vehementia fuerunt convulsiones in rabie emetico exorta 17). In spuria etiam spasmo oesophagi fit, ut et humida et solida devorari aegre aut nullo modo possint 18). Quare hic interdum solida quaeque non minus taedio sunt, quam humida: ita mulier illa Blochiana, iracundia in rabiem prolapsa, ne solidos quidem cibos poterat devorare 19). Rursus ipsius aquae horrorem in spuria deesse haud raro videmus: poterat aegrotus, cuius *Hufeland* historiam refert, bibere aquam 20). Alterum signum a spasmis deducendum, oris crebra conclusio: mulier, de qua iam locutus sum, os habebat firme occlusum. Etsi vero spasmi insolita apparent acerbitate, dispnoea tamen in morbo nostro longe minor ac levior est. Autor dicit: Spasmi nimis mihi vehementes visi sunt, attamen nullas observavi suffocationes 21). Alia est nota medici attentione maxime digna, quam gravissimae sensorii perturbationes nobis praebent, quae in deliria continua, in veram adeo maniam aut in perdurantem perfectamque animi alienationem abeunt: iam Asti dicit, spontaneum tantum mor-

---

16) Hufel. Iourn. Iahr. 1825.

17) Hufel. Iourn. Iahr. 1827.

18) Fr. Hoffmann Medic. rat. system. Tom. IV, pars III, p. 448.

19) Bloch's medicinische Bemerkungen 1774.

20) Hufel. Iourn. Iahr. 1819.

21) Hufel. Iourn. Iahr. 1823.

bum cum continua plerumque mania coniunctum esse. Atque eae quidem perturbationes primis praecipue morbi temporibus incedunt 22). Aegroti, qui *Hufelandi* Diario memoratur, animus alienatus ad posterum usque diem manebat; viri, de quo iam dixi, delirium fere nullo interiecto lucido intervallo quatriduum perdurabat. *Mason*, quem *Thymon* venae sectionibus in sanitatem restituit, molestissimis capitis doloribus simulque continuis deliriis nec interrupta mentis alienatione infestatus est, a quibus malis non nisi pluries instituta venae sectione aliquantum requievit. Sed spuria non solum iis, quae inter impetum apparent, signis discernitur, verum etiam iis, quae illum sequuntur. In ea enim post impetum somnum saepe observabant medici: *Mason* et quarta hora pomeridiana placide duas per horas dormiebat, et nona vespertina 23). Eodem modo etiam, qui ab *Hufel.* ipso describitur 24). Etiam in rabie spontanea a terrore profecta somnus post impetum aegrotum cepit.

Iam vero necesse est, ut, quamdiu duret malum nostrum, inquiramus. Morbus aut longe ducitur, velut in casu *Arnoldino*, ubi iam quinto post morsum die, aeger rabie correptus, novem demum post menses integram valetudinem nactus est 25). *Asti* omnia quidem rabiei indicia observavit, sed morbus, postquam pluribus traxit mensibus, prorsus evanuit, quum aegrotus sibi persuasisset, vere non rabidum fuisse canem, a quo morsum acceperit 26). Aut breve tantum tempus morbus remanet: an-

---

22) Krügelstein S. 367.
23) Krügelstein S. 359.
24) Hufel. Iourn. Iahr. 1819.
25) Hufel. Iourn. Iahr. 1823.
26) Krügelstein S. 375.

cillae illius affectio, parva facta interpellatione, duas horas perdurabat, postero mane revalescentis illa gaudebat valetudine 27). Aut denique, quod interdum accidit, rabies canina spuria fit recidiva: aegra, de qua illic sermo est, recidit in morbum. *Hilden* 28) similem refert historiam hystericae, ut videtur, rabiei.

Postremo de crisi morbi nostri quaedam verba faciam. Iam vero somnus ille, quem supra memoravi, criticus, quum aegroti inde refecti ac recreati surrexerint. Alioqui vomitus, diarrhoeae crisin colligebant: apud aegram, cui *Vogelsang* sanitatem recuperavit, multum muci vomitu emissi magno levamento fuit 29). *Shoolbredi* aegrotus immensis biliosis per os et alvum deiectionibus, tanquam vere criticis revaluisse videtur 30); in *Goedeni* aegro multa alvo fluente morbus in bonum versus est 31). In uno ex illis casibus et somnus et vomitus critici 32).

IV. EXHIBENTUR DISCRIMINA, QUIBUS A VERA RABIE DISTINGUATUR SPURIA.

Eundem hic sequar ordinem, ac supra. Potest emanare spuria variis, ut iam in diagnosi dixi, causis; saepe nullo antea morsu illato, quasi ab internis profecta causis erumpit,

27) Hufel. Iourn. Iahr. 1827.

28) Obss. chirurg. Cent. I. pag. 65.

29) Hufel. Iourn. Iahr. 1815.

30) Hufel. Iourn. Iahr. 1814.

31) Hufel. Iourn. Iahr. 1818.

32) Hufel. Iourn. Iahr. 1826.

i. e. singularis eam antecedere morbus consuevit, quare hic in principio signa adsunt ad totum corpus pertinentia. Contra ea vera, foris orta, intus progreditur, quippe quae uni solummodo fonti, animalis vel hominis vera rabie canina laborantis salivae venenatae infectioni, originem debeat suam. Unde facile apparet, quam sit illa reprehendenda consuetudo, ita affectas bestias, simulac captae sunt, statim trucidandi, quum animalis, quod momordit, cognitio magni sit ad medendum aegroto momenti. Captum potius observetur, et quum integra continuo valetudine fruitur, aut alius in eo se morbus ostendit, multum id quidem et medico spei affert et aegroto solatii. Iure *Hausleutner* 1): Invenicmus verae rabiei caninae essentialia, et quae ab aliis morbis maxime eam distinguunt, signa semper eadem, casumque unum quasi imaginem alterius esse, nec aliis ullis discriminibus, nisi quae ab aetate, sexu, constitutione corporis, temperamento, animi cultura, humanitate, morum conditione ducuntur, a prioribus casibus decedere.

Ut vero verae illa neganda non est origo, ita potest pro certo affirmari, in hac rabie, locali ab initio malo, localia signa communibus anteire: »Praepatitur enim ea pars, ait *Cael. Aurelianus* 2), quae morsu fuerit vexata, unde initium denique passionem sumere nemo negat.« Etiam *Salius Diversus* 3) multum tribuit ad veram rabiem oriundam dignoscendam, huic passioni dolorosae. Eodem modo *Boerhave* 4), cuius haec verba sunt: Dolet locus, cui impressa contagii labes primo fuit; dein

---

1) Hufel. Iourn. Iahr. 1823.

2) Cael. Aurel. de morbis acutis cap. XIV. L. III.

3) Salius Diversus de affectibus particularibus cap. XIX.

4) Boerhave §. 1138.

vagi per alia, maxime vicina loca, dolores etc. Tanquam propriam deinde notam localem *Urban* 5) profert vesiculas, quae in vulneris area se ostendant; *Ribbe* parvum dicit tumorem e vulneris veneno infecti margine efferri. Hirudines neque in ipso vulnere, nec in eius proximo circuitu ulla ratione sugunt. Ac fortasse, ait *Goeden*, ipsius hirudinum suctus ratio possit signum haberi, rabidus utrum fuerit canis, nec ne 6).

Attamen et matura universalium symptomatum in nostro malo apparitio, et rarissima secundum *Richter* 7) localium signorum absentia in illo, aliquid certi praebent ad cognoscendum utrumque malum adiumenti; etiam dubii spuriae prodromi instantem rabiem indicantes, qui aut prorsus carent, aut exigui tantum sunt, aut denique morbo antecedente efficiuntur, aliquantum valent ad diagnosin. Aliter enim in vera, ubi stadium melancholicum morbi denuntiat eruptionem. Aegrotus animo demisso ac tristi, solitudinis amans, omnem hominum fugit societatem. Sunt vero, ut *Goeden* 8) observavit, et ipsa haec moesta animi affectio et somnus, in quae tanquam malum erumpens indicantia praecipue advertamus animum; somnus enim inquietus anxiis somniis intermissis, ex quo saepe convulsionibus exterretur: *Boerhave* similia in hoc stadio signa laudat: Somni inquieti, turbati, terribiles cum convulsionibus et subsultibus, inquietudo assidua, suspiria, tristitia, solitudinis studium atque his fere primus mali incursus incipit.

---

5) Krügelstein S. 260.

6) Goeden: Huf. Iourn. Iahr. 1816.

7) Richter: Chirurg. Bibliotb. Bd. 5, S. 565.

8) Hufel. Iourn. Iahr. 1816.

Vidimus supra in diagnosi exponenda rabiem spuriam proxime sequi causam occasionalem; brevissimo tamen post morsum spatio *Sauvages* 9) oriri veram vidit, die tertio, *Baudot* prima quidem post morsum nocte erumpentem se observasse veram rabiem dicit; « ego vero, inquit hoc loco *Krügelstein* 10), et nimis maturum et nimis serum rabiei impetum, ad aliam potius causam, quam ad salivam venenatam referendam existimo. » Sic in quodam, quem *Schmidt* 11) describit, casu, rabiei vicesimo demum post morsum anno eruptae impetum febris maligna antecessit. Ita historiae eruptionis vel nimis acceleratae vel nimis productae alia quoque ratione in dubium vocari possunt; quae de hac re sentiat *Vogel*, iam supra posuimus. *Urban* diem CLXImum habere ultimum videtur, quo vera possit provenire rabies; non enim prius, quam is praeterisset dies, dari sibi, quod pro venenatae salivae insertione in suo ipsius corpore facta proposcerat, praemium voluit; eam autem insertionem instituerat, ut probaret, certum sibi nec unquam fallax esse contra venenum illud antidotum.

» Ipsa tandem eruptione prosecuta, grave ad distinguendam ab aliis affectionibus rabiem veram signum est ordo symptomatum »; haec dicit pluribus locis libri sui iam saepius laudati Krügelstein, in quo etiam, ut in aliis de hac re scriptis, ordo ille enumeratur. Ego vero iam in principio huius dissertationis demonstravi, fieri non posse, quin singulae notae utriusque morbi de ordine discernantur. Tenax

---

9) Sauvages: Dissert. sur la rage.

10) Krügelstein S. 266—267.

11) Schmidt in Miscellan. Natur. curios. Dec. I, ann. IX, obs. 43.

igitur propositi, eo transibo, ut, quemadmodum singula utriusque mali inter se discrepent symptomata, exponam.

In rabie spuria spasmi plerumque tonici, interdum etiam cum clonicis coniuncti; eorum utrumque genus a vera alienum, ubi levis tantum tractus spasmodicus in musculis subest 12), sive, ut cum *Parry* loquar, actio irregularis musculorum voluntariorum 13). Horror aquae aut alius cuiusdam humoris in spuria exoritur vehementi oesophagi spasmo, quocirca eo morbo affecti haud raro solidis quoque cibis abhorrent; in vera autem ad *Parry* sententiam nec pharynx, neque oesophagus, sed tracheae pars superior una cum aliis apparatus respiratorii partibus primaria afficitur, itaque de tribus illis, quos *Parry* observavit vera rabie laborantibus duo solida haud difficulter devorabant, nullum experti convulsionum oriundarum sensum. Quamobrem convulsiones non deglutitione tantum adducuntnr, verum etiam vehementi aëris pressu, ac solo humorum cum pharynge attactu, quum nullus adhuc factus esset eos demittendi conatus. Unde denique factum est, ut spontanei convulsionum incursus vehementi semper et singultibus coniuncta inciperent respiratione, in qua humeri practer modum sublati crant 14). Non minus scpti transversi contractio, qua „ cum spasmodicam efficiat colli, glottidis epiglottidisque actionem, vehementissimae suffocationes naseuntur, veram rabiem distinguit a nostra, quac Dei optimi gratia his terribilibus ac fere mortiferis viarum respiratoriarum affectionibus prorsus caret. *Richter* aquae timo-

---

12) Krügelstein S. 355.

13) Parry Cases of Tetanus and rabies contagiosa.

14) Parry ebendaselbst.

rem in rabie vera constantissississimum dicit signum, ita ut, ubi illud abcst, eos casus in dubiorum incertorumque habeat numero 15); in spuria autem minime raro deest, neque etiam in ea est crebra urinae cupiditas, aut continua cius difficultas, aut sanguinis e vena emissi degeneratio, quae omnia in vera rabie propria sunt ct essentialia; vesiculae Marochetti, quas dicunt, ipsae quoque in spuria desiderantur, ac saepenumero in summo hoc morbo abest salivae egestio, quam rem *Thymoni*, *Vogelsangii* aliique casus satis ostendunt. *Krügelstein* vero in initio ac decursu morbi prae ceteris subesse egestionem dicit salivae; etiam in *Boerhavi* 16) descriptione legimus: »spumae in ore collectio;« deinde: »hiatus oris, vigiliac assiduae;« sed in spuria et os occlusum et somnum vidimus. *Parry* quidem in vera quoque somnum se dicit observasse; quem vero criticum illic esse non omittendum est. Denique cum in spuria primis eruptionis temporibus sensorium ita soleat esse magnopere et continuo turbatum, ut in veram maniam, perfectamque animi impotentiam abeat, tum contra vera rabies his praecipue, si *Goedenum* 17) sequimur, excellit signis, quod et integrum sit sensorium et libera conscientia, quod deliria absint, et inturbatus maneat animus; quin etiam, ut Mathieu dicit, multum is augeatur acumine; denique in vera paroxysmum quemque sequitur intermissio, dum illa potius, nullis interiectis intervallis, continua est.

Spatium morbi, quo iam transeo, in vero quidem varium est, etsi nemo supra septimum diem vivit, ac plerique prius occumbunt mortem; spurium autem longius duci vidi-

---

15) Richter: Spezielle Therapie Bd. 8.

16) Boerhave §. 1138.

17) Hufel. Iourn. Iahr. 1816.

mus; ac licet hic quoque citius interdum transeat, ipse tamen in bonum plerumque, ille vero in peius convertitur. Denique cavendum est, ne quis in rabie vera paroxysmum putet esse morbum recidivum, qualis spuria solum esse consuevit.

In fine crisin ponam; quibus nostrum exeat malum, iam supra in diagnosi explicanda intelleximus, verae autem rabiei crisin, si qua sit, urina prosequi 18) Goeden dicit. Veri autem similius videtur ac plerumque etiam accidit, ut natura, morbum superando impar, nullam prorsus efficiat crisin.

V. QUAE SIT SPURIAM INTER ET VERAM RABIEM SIMILITUDO.

Morsus unius eiusdemque canis utrumque potest producere morbum, et utrum inhaeserit venenum, an, ubi non penetravit in vulnus, sola imaginatione vel metu ortus sit morbus, eo difficilius est inquirere, quo minus negare licet, posse ipsum vulnus morsu factum mutari, id quod ante verae rabiei incursum accidere solet, causis prorsus indifferentibus. Excitata imaginandi facultas potest in vulnere aut cicatrice, etsi non inflammationem et suppurationem, tamen dolorem, pruritum et uredinem proferre, quae quo magis ea quaeris ab aegroto, eo facilius te fallunt, atque, ut illas pro veris habeas molestiis, perducunt. Ipse, dicit *Krügelstein* 1), ante febris nervosae impetum in cicatrice duodecim annorum, quae nullam adhuc adtulerat molestiam, vehe-

18) Hufel. Iourn. Iahr. 1823.

1) Krügelstein S. 372.

mentem uredinem vidi et dolores, qui totum membrum occupabant. Huc accedit, ut, quod negari non potest, rabies in homine ultro profecta pariter pro pacgturatque vera, quum, ut *Maior* dicit, etiam hominum spontanca aut symptomatica rabie prostratorum saliva contagiosa sit: Melancholicus quidam, licet nullo morsu laesus, in rabiem spontaneam incidit; cuius uxor, saepius cum osculata in ore, decem post dies ipsa quoque rabie correpta est; his similia observabant *St. Martin*, *Ribbe*, *Rougemont*. Homo quidam ira inflammatus alterum momordit, qui rabidus inde factus, diem adeo obiit supremum 2). Ad haec localia signa in spuria nonnunquam coenacthesis turbata accedit. Teneri homines animo magnaque praediti imaginandi facultate, plures interdum post annos vel aliis de causis vel imaginatione decepti, dolores in vulnere veterato sentiunt, simulque in moestitiam deiecti, erumpentem extimescunt rabiem, de qua modo sermonem suscipi audiverant. Talem etiam malam animi affectionem in omnibus reperimus febribus, quae ad nervosas maxime pertinent, in ipsa acri febri catarrhali 3). Tempore quoque eruptionis similes inter se sunt ambo morbi:

Veram rabiem apparere tertium inter et CLXImum post morsum diem vidimus; fere aeque longum eruptionis tempus spuriae dant multa exempla et in *Hufel.* diario et alibi de hac re conscripta. Id vero in utroque malo accelerari affectibus animi potest. In Dre *Henning* 4) vehementi ira factum est, ut citius subveniret verae rabiei impetus;

---

2) Pouteau: Oeuvres.

3) Krügelstein S. 375.

4) Hufel. Iourn. Iahr. 1799.

in femina illa summa ira atque indignatio eodem modo spuriae eruptionem adiuvit.

Sunt etiam indicia, quae tum inter spuriam, tum inter veram rabiem oculis nostris patent: humoris cuiusvis taedium in spuria quoque conspicitur, nec raro oesophagi spasmus, qui hic, ne aqua imbibatur, impedit, ab hydrophobia verae rabiei aegre discernitur, praesertim quum et illic interdum sola humorum appropinquatione excitetur impetus; pariter in spuria saepe spuma ante os colligitur; in malo utroque latratus caninus mordendique cupiditas (cynoliscon). Quaedam aegrotans rabie spontanea, rauca canis instar latrabat voce, saliva crassa et spumosa, continuo profluens, os insidebat, neque ullo modo poterant aegrotae infundi potus; furibunda eos reiecit. Utrumque saepe malum breve esse, iam exhibui; spontaneos vomitus eorum, qui vera rabie laborant, posse cum criticis nostri morbi confundi, adiiciendum est.

Postremo non omittendum, spuriam rabiem, etsi in plerisque casibus methodo curandi in primarium adhibitae morbum cedat, nonnunquam tamen morte finiri. Exempla, quibus homines, canum morsu in rabiem adducti, peribant, canes ipsi dum integra gaudent valetudine, *Choisel*, *Mease*, *Perkinson* aliique in scriptis suis memoriae tradiderunt.

5) Hufel. Iourn. Iahr. 1823.

VITA.

Ego, Elias Oppenheim, fidem amplectens Mosaicam, Bonnae die vigesimo quinto Mensis Februarii anni MDCCCV natus sum, parentibus Seligmann Oppenheim et Anna e gente Cohen, quos Dei optimi maximi gratia adhuc vivos veneror.

Aetate puerili primis hebraicae germanicaeque linguae imbutus sum rudimentis; postea aetate quatuordecim annorum, urbis patriae Gymnasium, quod sub rectore clarissimo Biedermann floret, adgressus, per septem annos id frequentavi, quibus praeteritis anno 1825 m. Maio almam Universitatem Frider. Guilelm. Rhenanam petii, numeroque civium academicorum a Rectore magnifico a Schlegel, Alboque facult. medicae a. t. t. Decano spectatissimo Harless adscriptus sum. Dum studiis per quinquennium et quod excurrit, operam dedi, hic officio militari in cohorte equitum, nostra in urbe collocata, per tempus praescriptum functus sum.

Quas hoc tempore audivi praelectiones, sunt:

I. *Philosophicae:* Propertii elegias V apud ill. a Schlegel; logicam apud ill. van Calker; psychologiam apud ill. Brandis; physicam apud ill. a Münchow; chemiam experimentalem apud ill. G. Bischof; Botanicam universalem apud ill. Nees ab Esenbeck sen.; pharmaceuticam apud cel. Nees ab Esenbeck iun.; Zoologiam apud ill. Goldfuss; mineralogiam apud ill. Noeggerath.

II. *Medicae:* Encyclopaediam et methodologiam artis medicae, pathologiam generalem ac semioticam me docuit ill. Müller, osteologiam et syndesmologiam cl. Weber, anatomiam specialem ill. Mayer, qui una cum cl. Weber dissecandorum cadaverum dux mihi fuit; physiologiam hominis ill. Mayer; pathologiam specialem, nec non hygieinen et diaeteticen ill. Harless; physiologiam hominis et comparatam, therapiam generalem et specialem, informationesque in clinico propaedeutico ill. Nasse; artem obstetriciam cel. Kilian; pharmacologiam, artem formulas concinnandi medicas, medicinam forensem ill. E. Bischoff, eundemque epizoota tractantem audivi: pathologiam et therapiam chirurgicam, doctrinam de fracturis et luxationibus ossium et de fasciis et deligationibus applicandis, ophthalmiatricen, doctrinam operationum chirurgicarum atque instrumentorum apparatum ad illas perficiendas idoneorum ill. a Walther; morbos muliebres ill. Naumann; deinde in exercitationibus clinicis et policlinicis medicis per tria semestria ducem habui ill. Nasse; in clinico et policlinico chirurgico et ophthalmiatrico per unum semestre auscultanti mihi, per duo practicanti a Walther dux fuit; in exercitationibus obstetriciis clinicis per duo semestria moderator mihi fuit cel. Kilian; denique audivi etiam morborum cordis expositionem et repetitorium chirurgiae apud exp. Albers.

Quibus praeceptoribus gratias ago maximas, nec unquam erga eos animum habere gratissimum desinam. —

THESES.

I.

Erysipelas in exanthematum numero habendum.

II.

Rabies canina vera in hominibus sanabilis non est.

III.

Convulsiones in cordis affectionibus haud rarae.

IV.

Rabies canina spuria, ab internis profecta causis, erumpit; contra vera, foris orta, intus progreditur.

V.

Inter paraplegiam cerebralem atque eam, quae a medulla spinali profecta est, novimus discrimen.

VI.

Utrum haemorrhagia inter partum uterina placentam partiatim solutam secuta sit, an placentam praeviam, saepissime intelligere nequimus.

VII.

In primis graviditatis uterinae mensibus externa exploratio constituit diagnosin, non interna.

VIII.

Regimen atque diaeta plurimum valent ad morborum medelam.

IX.

Medicamentorum contraindicationes multo pluris sunt, quam indicationes.